

religiöse vite instituto capessendo deliberare cepit; quò ut sibi viam muniret, adiculam in extrema urbe condaxit, in quam cum sese abdidisset, asperrimam omni ex parte vitam trahébat. Deum assidue orans, ut quid sibi sequendum esset, ostenderet: quare divinitus factum est, ut beati Francisci Ordinem præ cæteris optaret, in quo humilitate, patientia, aliisque religiosi hominis virtutibus excelluit. Id cum cœnobii Rector animadverteret, jamque antea Bernardini doctrinam, & sacrarum litterarum peritiam perspèctam habéret, prædicandi onus eidem imposuit; quo humillime suscepto, cum se minus idoneum agnosceret ob vocis exilitatem ac raucitatem, Dei ope implorata, non sine miraculo ejusmodi impedimento liberatus est.

Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. *V.* Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad.

Lectio vi.

Cumque ea tempora vitii criminibus redundarent, & cruentis factionibus in Italia, divina humanaque omnia permixta essent; Bernardinus urbes atque oppida concursans, in nomine Jesu, quem semper in ore & in pectore gerébat, collapsam pietatem morisque, verbo, & exemplo, magna ex parte restituit; quo factum est, ut præclaræ civitates eum sibi Episcopum ad Summo Pontifice postularent; quod ille munus invicta humilitate constantissime rejecit. Denique vir Dei immensis laboribus exhaustus, multis magnisque editis miraculis, libris etiam pie doctæ conscriptis, cum vixisset annos sex ac sexaginta-

ta, in urbe Aquila in Vestinis beato sine quievit. Quem novis indies coruscantem signis, anno post Obitum sexto, Nicolaus Quintus Pontifex Maximus in Sanctorum numerum retulit.

R. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. *V.* Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cælestia regna. Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno, Homilia Sancti Hieronymi Presbyteri in Evangelium. Ecce nos reliquimus omnia, de Communi Abbatum. lxxv.

DIE XXV. MAII.

In Festo Sancti Gregorii Septimi Papæ & Confessoris. Duplex. Omnia de Communi Confessoris Pontificis, xlvj. præter ea quæ hic habentur propria.

Oratio.

Deus in te sperantium fortitudo, qui beatum Gregorium Confessorem tuum atque Pontificem, pro tuenda Ecclesiæ libertate virtute constanti roborasti; da nobis ejus exemplo & intercessione, omnia adversantia fortiter superare. Per Dominum nostrum.

Deinde fit Commemoratio Sancti Urbani Papæ & Martyris, Antiphona. Iste sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, & à verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat supra firmam petram. *V.* Glória & honore coronasti eum Domine. *R.* Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Oratio.

DA, quæsumus omnipotens Deus; ut qui beati Urbani Martyris tui atque Pontificis solèmnia cõ-

solimus,

mus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per Dominum, &c.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Gregorius Papa Septimus, antea Hildebrandus, Suane in Etruria natus, doctrinâ, sanctitate, omnique virtutum genere cum primis nobilis, mirifice universam Dei illustravit Ecclesiam. Cum parvulus ad Fabri ligna edolantis pedes, jam litterarum inscius, luderet, ex rejectis tamen segmentis illa Davidici elementa oraculi: Dominabitur à mari usque ad mare, casu formasse narratur, manum pueri ductante Numine, quo significaretur ejus fore amplissimam in mundo auctoritatem. Romam deinceps profectus, sub protectione Sancti Petri educatus est. Juvens Ecclesiæ libertatem à læcis oppressam, ac depravatos Ecclesiasticorum mores vehementius dolens, in Cluniacensi Monasterio, ubi sub Régula Sancti Benedicti austerioris vite observantia eo tempore maxime vigebat, Monachi habitum induens, tanto pietatis ardore divinæ Majestati deserviebat, ut à sanctis ejusdem Cœnobii patribus Prior sit electus. Sed divina providentiâ majora de eo disponente in salutem plurimorum Cluniaco eductus Hildebrandus, Abbas primum Monasterii Sancti Pauli extra muros urbis electus, ac postmodum Romane Ecclesiæ Cardinalis creatus, sub summis Pontificibus, Leone Nono, Victore secundo, Stephano Nono, Nicolao Secundo, & Alexandro Secundo præcipuis munibus, & legationibus perfunctus est, sanctissimi, & purissimi consilii vir à be-

to Petro Damiâni nuncupatus. A Victore Papa Secundo Legatus à latere in Galliam missus, Lugduni Episcopum simoniacâ labe infectum ad sui criminis confessionem miraculo adegit. Berengarium in Concilio Turonensi ad iteratam hæresim abjuratorem compulsi. Cadaloi quoque schisma sua virtute compressit.

Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. *V.* Nihil proficet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocébit ei. Manus enim.

Lectio v.

Oratio Alexandro Secundo, invidus, & merens unanimum omnium consensu, decimo Kalendas Maii anno Christi millesimo septuagesimo tertio, Summus Pontifex electus, sicut sol effulsit in Domo Dei; nam potens opere & sermone, Ecclesiasticæ disciplinæ reparandæ, Fidei propagandæ, libertati Ecclesiæ restituendæ, extirpandis erroribus & corruptelis tanto studio incubuit, ut ex Apostolorum ætate nullus Pontifex fuisse tradatur, qui majores pro Ecclesiæ Dei labores, molestiasque pertulerit, aut qui pro ejus libertate acrius pugnaverit. Aliquot Provincias à simoniaca labe expurgavit. Contra Henrici Imperatoris impios conatus fortis per omnia athleta, impavidus permansit, seque pro muro domui Israël ponere non timuit, ac eundem Henricum in profundum malorum prolapsum Fidei communiçione rogâque privavit, atque subditos populos hinc ei datâ liberavit.

Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxilia-

bi-

bitur ei. **¶** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vj.

DUm Missarum solémnia perageret, visa est viris piis columba è cœlo delapsa humero ejus dextro insidens, alis extensis caput ejus velare, quo significatum est, Spiritus sancti afflatu, non humane prudentiæ rationibus ipsum duci in Ecclesiæ regimine. Cum ab iniqui Henrici exercitu Romæ gravi obsidione premeretur, excitatum ab hostibus incendium signo Crucis extinxit. De ejus manu tandem a Roberto Guiscardo Duce Northmanno ereptus, Casinum se contulit; atque inde Salernum ad dedicandam Ecclesiam Sancti Matthæi Apostoli conténdit. Cum aliquando in ea civitate sermonem habuisset ad pópulum, erumnis confectus in morbum incidit, quo se interitum prescivit. Postrema morientis Gregorii verba fuere: Diléxi justitiam, & odivi iniquitatem, propterea morior in exilio. Innumerabilia sunt, quæ vel fortiter sustinuit, vel multis coactis in Urbæ Synodis sapienter constituit, vir vere sanctus, criminum vindex, & acerrimus Ecclesiæ defensor. Exactis itaque in Pontificatu annis duodecim migravit in cœlum anno salutis millesimo octogesimo quinto, pluribus in vita & post mortem miraculis clarus, ejusque sacrum corpus in Cathedrali Basilica Salernitana est honorificè conditum. **¶** Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrinâ ejus replata est: **¶** Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **¶** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit

ad cœlestia regna. Ipse intercedat. Glória Patri. Ipse intercedat.

In tertio Nocturno, Homilia Sancti Hilarii Episcopi in Evangelium Vigilatæ, quia nescitis, ut in Communi Confessoris Pontificis. Ij.

Pro S. Urbano Papa & Martyre.

Lectio ix.

URbanus Romanus, Alexandro Severo Imperatore, doctrinâ & vite sanctitate multos ad Christi fidem convertit: in illis Valerianum, beatæ Cæciliæ sponsum, & Tiburtium Valerianum fratrem, qui postea martyrium forti animo subierunt. Hic de bonis Ecclesiæ attributis scripsit his verbis: Ipsæ res fidélium, quæ Domino offeruntur, non debent in alios usus, quam Ecclesiasticos, & Christianorum fratrum, vel indigéntium converti: quia vota sunt fidélium, & prætia peccatorum, ac patrimonía pauperum. Sedit annos sex, menses septem, dies quatuor: ac martyrio coronatus, sepultus est in cœmétério Prætextati octavo Kalendas Junii. Ordinationibus quinque habitis mense Decembri, creavit Presbyteros novem, Diaconos quinque, Episcopos pro diversâ loca octo.

Te Deum laudamus. 12.

In laudibus fit Commem. S. Urbani Papæ & Mart. Aña. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. **¶** Justus, ut palma florébit. **¶** Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Oratio, Da quesumus, ut supra. 399.

Vesperæ à Cap. de sequenti, cum Commemor. præced. & S. Eleutherii Papæ & Martyris.

DIE

DIE XXVI. MAII.
In Festo S. Philippi Confessoris.
Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, Ij. præter ea quæ hic assignantur.

Oratio.

DEus, qui beatum Philippum Confessorem tuum Sanctorum tuorum gloriâ sublimasti: concede propitius, ut cujus solemnitate lætâmur, ejus virtutum proficiamus exemplo. Per Dominum, &c.

Deinde fit Commemoratio S. Gregorii VII. Antiphona. Dum esset summus Pontifex, terræna non méruit, sed ad cœlestia regna gloriôsus migravit.

¶ Justum deduxit Dominus per vias rectas. **¶** Et ostendit illi regnum Dei.

Oratio. Deus in te sperantium, ut supra. 398.

Deinde fit Commemoratio Sancti Eleutherii Papæ & Martyris. Antiphona. Iste sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, & à verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat supra firmam petram. **¶** Gloriâ & honore coronasti eum Domine. **¶** Et constituisti eum super ôpera manuum tuarum.

Oratio.

Infirmitatem nostram respice omnipotens Deus: & quia pondus propriæ actionis gravat, beati Eleutherii Martyris tui atque Pontificis intercessio gloriôsâ nos protégat. Per Dominum nostrum,

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Philippus Nérius, piis honestisque parentibus Florentiæ natus, ab ipsa inuente ætate non obscurâ dedit futuræ sanctitatis indi-

cia. Adolenscens, amplâ patrui hereditate dimissâ, Romam se contulit: ubi Philosophiâ ac sacris litteris eruditus, totum se Christo dicavit. Eâ fuit abstinentiâ, ut sæpè jejûnus triduum permanserit. Vigiliis & orationibus intentus, septem Urbis Ecclesiis frequenter visitans, apud cœmétérium Callisti in cœlestium rerum contemplatione pernoctare consuevit. Sacerdos ex obedientia factus, in animarum salutè procuranda totus fuit, & in confessionibus audiendis ad extremum usque diem perseverans, innumeros penè filios Christo peperit, quos verbi Dei quotidianò pabulo, Sacramentorum frequentiâ, orationis assiduitate, aliisque piis exercitiis nutrirî cupiens, Oratorii Congregationem instituit.

¶ Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum; & Et dedit illi claritatem æternam.

¶ Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Charitate Dei vulneratus languébat jugiter: tantoque cor ejus aestuabat ardore, ut eum intra fines suos contineri non posset, illius sinum, confractis atque elatis duabus costulis, mirabiliter Dominus ampliaverit. Sacrum verò fœdus, aut ferventius orans, in aëra quandoque subleatus, mira undique luce fulgere visus fuit. Egénos & pauperes omni charitatis officio prosequébatur: dignus qui & Angelo in specie pauperis elemôsynam erogaret; & dum egentibus noctu panem deferret, in loveam lapsus, inde pariter ab Angelo incolumis eriperetur. Humilitati addictus, ab honoribus semper abhorrui, atque Ecclesiasticas dignitates, etiam primam-

marias, non semel ultrò delatas, constantissimè recusavit.

R. Amavit eum Dominus & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum. **•** Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus lorica[m] fidei, & ornavit. Et ad.

Lectio vi.

Prophetiæ dono fuit illustris, & in animorum sensibus penetrandis mirificè entuit. Virginitatem perpetuò illibatam servavit; idque assecutus est, ut eos, qui puritatem colerent, ex odore; qui verò secus, ex foetore dignoscerent. Absentibus interdum apparuit, iisque periclitantibus opem tulit. Egrotos plurimos, & morti proximos sanitati restituit. Mortuum quoque ad vitam revocavit. Cælestium spirituum, & ipsius Deiparæ Virginis frequenter fuit apparitione dignatus, ac plurimorum animas splendore circumfusas in cælum conscendere vidit. Denique anno salutis millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, octavo Kalendas Junias, in quem diem inciderat festum Corporis Christi, Sacro maxima spiritus exultatione peracto, cæterisque functionibus expletis, post mediàm noctem, quæ prædixerat horâ, octogenarius obdormivit in Domino. Quem Gregorius Decimus quintus miraculis clarum in Sanctorum numerum retulit.

R. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrederè in requiem meam. **•** Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cælestia regna. Quia te vidi. Gloria Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno, Homilia Sancti Gregorii Pape in Evangelium. Sint lumbi vestri præcincti, ut in Comm. Confess. non Pontif. IX.

Pro S. Eleutherio Papa & Martyre.

Lectio ix.

Eleutherius, Nicopoli in Græcia natus, Aniceti Pontificis Diaconus, Commodo Imperatore præfuit Ecclesiæ. Huic initio Pontificatus supplices litteræ venerunt à Lucio Britannorum rege, ut se ac suos in Christianorum numerum reciperet. Quàmobrem Fugatum & Damiânium, doctos & pios viros, misit in Britanniam, per quos rex & reliqui fidem susceperunt. Hoc Pontifice Irenæus Polycarpi discipulus Roman veniens, ab eo benignè acceptus est. Quo tempore summâ pace & quiete fruebatur Ecclesia Dei: ac per totum orbem terrarum, maxime Romæ, fides propagabatur. Vixit Eleutherius in Pontificatu annos quindecim, dies viginti tres. Fecit Ordinationes tres mense Decembri, quibus creavit Presbyteros duodecim, Diaconos octo, Episcopos per diversa loca quindecim: sepultusque est in Vaticano prope corpus Sancti Petri.

Te Deum laudamus. 12.

In Laudibus fit Commemoratio S. Eleutherii Papæ & Mart. Aña. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. **V.** Justus, ut palma florebit. **R.** Sic cedrus Libani multiplicabitur.

In ij. Vesperis, fit Commemor. S. Mariæ Magdalene de Pazzis Virginis, deinde S. Joannis Papæ & Martyris.

DIE XXVII. MAII.

In Festo S. Mariæ Magdalene de Pazzis Virg. Semidup. Omnia de Comuni Virginum, Ixvij. præter ea quæ sequuntur.

Oratio.

Deus virginitatis amator, qui beatam Mariam Magdalenam virginem tuo amore succensam, car-

cælestibus donis decorasti: da, ut quam festivâ celebritate veneramur, puritate & charitate imitemur. Per Dominum nostrum.

Deinde fit Commemoratio Sancti Joannis Papæ & Martyris, Aña. Iste sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, & à verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat supra firmam petram. **V.** Gloria & honore coronasti eum Domine. **R.** Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Oratio.

Deus, qui nos beati Joannis Martyris tui atque Pontificis annuâ solemnitate letificas: concede propitius; ut ejus natalitia cõlumus de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Maria Magdalena illustriori Pazziorum genere Florentiæ nata, ferè ab incunabulis iter perfectionis arripuit. Decennis perpetuam virginitatem vovit, susceptoque habitu in Monasterio Sanctæ Mariæ Angelorum Ordinis Carmelitarum, se omnium virtutum exemplar exhibuit. Adeo casta fuit, ut quidquid puritatem lædere potest, penitus ignoraverit. Quinquenniū, deo jubente, solo pane & aquâ transiit, exceptis diebus Dominicis, quibus cibis quadragesimalibus vesceretur. Corpus suum cilicio, flagellis, frigore, inedia, vigiliis, nuditate, atque omni pœnarum genere cruciabat.

R. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: **•** Et deducet te mirabiliter dextera tua. **V.** Spécie tua & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. Et deducet.

Parv. Arriva.

Lectio v.

Tanto igne divini amoris aestuabat, ut ei ferendo impar, ingesta aquâ pectus refrigerare cogere-tur. Extra sensus frequenter rapta, diuturnas & admirabiles extases passus est, in quibus & arcana cælestia penetravit, & eximis à Deo gratiis illustrata fuit. Huius autem munita, longum certamen à principibus tenebrarum sustinuit, arida, desolata, ab omnibus delicta, variisque tentationibus vexata, Deo sic permittente, ut invictæ patientiæ, ac profundissimæ humilitatis exemplar præberet.

R. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: **•** Propterea unxit te Deus tuus oleo lætitiæ. **V.** Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. Propterea.

Lectio vi.

Charitate erga proximum singulariter entuit: nam sepe noctes ducebatur insomnes, vel obundis sororum ministeriis, vel inserviendo infirmis occupata, quarum aliquando ulcera lambens sanavit. Infidelium & peccatorum perditionem amare desens, se ad quælibet pro illorum salute tormenta paratam offerrebat. Multis ante obitum annis, universis cœli deliciis, quibus copiose affluerebat, herotica virtute renuntians, illud frequenter in ore habebat: Pati, non mori. Tandem longa & gravissima infirmitate exhausta, transivit ad sponsum die vigesima quinta Maii, anno millesimo sexcentesimo septimo, expleto anno quadragesimo primo ætatis sue. Eam multis in vita & post mortem miraculis clarum Clemens Nonus sanctarum Virginum numero adscripsit: ejus corpus in præsentem diem incorruptum conservatur. **R.** Afferentur Regi virgines post eam, proximæ ejus. **•** Afferentur tibi in lætitia & exultatione. **V.** Spécie

Cc

cie

cie tua & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. Afferentur. Gloria Patri. Afferentur.

In tertio Nocturno, Homilia Sancti Gregorii Papæ in Evangelium Simile erit regnum celorum decem virginibus, ut in Comuni Virginitum. lxxv.

Pro S. Joanne Papæ & Martyre. Lectio iij.

Joannes Hetriscus, Justino seniore Imperatore rexit Ecclesiam: ad quem profectus est Constantinopolim auxilii causa, quod Theodoriscus rex hæreticus divexabat Italia: cuius etiam iter Deus miraculis illustravit. Nam cum ei nobilis vir ad Corinthum equum, quo ejus uxor mansueti utebatur, itineris causa commodasset: factum est, ut domino postea remissus equus ita ferocis evaderet, ut frémitu & totius corporis agitatione semper deinceps dominum expulserit: tamquam indignaretur mulierem recipere, ex quo sedisset in eo Jesu Christi Vicarius. Quamobrem illi equum Pontifici donaverunt. Sed illud majus miraculum, quod Constantinopoli in aditu porte aureæ, inspectante frequentissimo populo, qui una cum Imperatore Pontifici honoris causa occurrerat, caeco lumen restituit. Ad cuius pedes prostratus etiam Imperator, eum veneratus est. Rebus cum Imperatore compositis, in Italiam rediit: statimque epistolam scripsit ad omnes Italiae Episcopos, jubens eos Ariatorum Ecclesias ad Catholicum ritum consecrare, illud subiungens: Quia & nos quando finimus Constantinopoli, tam pro religione Catholica, quam pro regis Theodorici causa, quascunque illis in partibus eorum Ecclesias reperire potuimus, Catholicas eas consecravimus. Quod iniquissimo animo ferens Theodoriscus, dolo accessitum Pon-

tificem Ravennam in carcerem confecit: ubi squalore inediaque afflictus, paucis diebus cessit è vita, cum sedisset annos duos, menses novem, dies quatuordecim: ordinatis eo tempore Episcopis quindecim. Paulo post moritur Theodoriscus, quem quidam eremita, ut scribit Sanctus Gregorius, vidit inter Joannem Pontificem, & Symmachum patricium, quem idem occiderat, demergi in ignem Liparitibus: ut videlicet illi, quibus mortem attulerat, tamquam iudices essent ejus interitus. Joannis corpus Ravennâ Romam portatum est, & in Basilica Sancti Petri sepultum.

Te Deum laudamus. 12.

DIE XXX. MAII. S. Felicis Papæ & Martyris. Oratio.

Infirmam nostram respice omnipotens Deus: & quia pondus propriæ actionis gravat, beati Felicis Martyris tui atque Pontificis intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum.

Lectio iij.

Felix Romanus, patre Constantio, Aureliano Imperatore præfuit Ecclesie. Constituit, ut Missa supra memorias & sepulchra Martyrum celebraretur. Qui cum mense Decembri habuisset Ordinationes duas, & creasset Presbyteros novem, Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca quinque, martyrio coronatus, viâ Auréliâ sepelitur in Basilica, quam à se edificatam dedicarat. Vixit in Pontificatu annos duos, menses quatuor, dies viginti novem.

Te Deum laudamus. 12.

DIE XXXI. MAII. Sanctæ Petronillæ Virginis. Oratio.

Exaudi nos Deus salutaris noster: ut sicut de beatæ Petronillæ

nillæ Virginis tuæ festivitate gaudeamus: ita piæ devotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

Ex libro Sancti Cypriani Episcopi & Martyris de Disciplina & habitu Virginitatis.

Lectio iij.

Cap. 2.

Nunc nobis ad virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria est, major & cura est. Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, leta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fecunditas: quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augetur. Ad has loquimur, has adhortamur affectione potius quam potestate: non quod extremi, & minimi, & humilitatis nostræ admodum consilii aliquid ad censuram licentiæ vindicemus; sed quod ad sollicitudinem magis cauti, plus de diaboli infestatione timeamus.

Te Deum laudamus. 12.

FESTA JUNII.

Prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum. cxxxij.

DIE II. JUNII.

Sanctorum Marcellini, Petri, atque Erasmi Martyrum. Oratio.

Deus, qui nos annua beatorum Martyrum tuorum Marcellini, Petri, atque Erasmi solemnitate lætificas: præsta quesumus; ut quorum gaudemus meritis, accendamus exemplis. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Lectio iij.

Petrus exorcista, Diocletiano Imperatore, Romæ à Sereno

judice propter Christianæ fidei confessionem missus in carcerem, Paulinam Artemii, qui carceri præerat, filiam à demone agitatam, liberavit. Quo facto & parentes puellæ cum tota familia, & vicinos qui ad rei novitatem concurrerant, Jesu Christo conciliatos ad Marcellinum Presbyterum adduxit, à quo omnes baptizati sunt. Quod ubi rescribit Serenus, Petrum & Marcellinum ad se vocatos asperitibus objurgat, & ad verborum acerbitatem minas ac terrores adjungit, nisi Christo renitent. Cui cum Marcellinus Christianâ libertate responderet, pugnis contusum, & à Petro sejunctum, nudum incedit in carcerem stratum viri fragmentis, sine cibo ac sine lumine. Petrum item constringi imperat artissimis vinculis. Sed cum utriusque tormentis fides & animus cresceret, constanti confessione, & abscisso capite, illustre testimonium Jesu Christo dederunt.

Lectio iij.

ERasmus Episcopus, Imperatoribus Diocletiano & Maximiano, in Campania plumbatis & fustibus cæsus, resinâ quoque, sulphure, plumbo liquefacto, & ferventi pice, cerâ, oleoque perfusus, inde tamen integer & inviolatus evasit. Quo miraculo multi se ad Christi fidem converterunt. Verum is iterum detrusus in carcerem, constrictus ferreis gravissimisque vinculis, inde ab Angelo mirabiliter ereptus est. Deinde Formis à Maximiano variis affectus supplicis, tunicaque ærea candenti indutus, illa etiam tormenta, divinâ virtute superavit. Denique plurimis & in fide confirmatis, & ad fidem conversis, insignem martyrii palmam adeptus est.

Te Deum laudamus. 12.

Cc 2

DIE

DIE VI. JUNII.

In Festo Sancti Norberti Episcopi & Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, xli. præter sequentia.

Oratio.

DEus, qui beatum Norbertum Confessorem tuum atque Pontificem, verbi tui præconem eximium effecisti, & per eum Ecclesiam tuam novâ prole fecundasti: præsta quæsumus; ut ejusdem suffragantibus meritis, quod ore simul & opere docuit, te adjuvante exercere valeamus. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

NORBERTUS, nobilissimis parentibus natus, adolescens liberâlibus disciplinis eruditus, in ipsa postea Imperatoris aula, spreto mundi illicebri, Ecclesiasticæ militiæ adscribi voluit. Sacris initiatus, rejectis mollibus, ac splendidis vestibus, pelliceâ melote indutus, prædicationi verbi Dei se totum dedit. Abdicatis Ecclesiasticis præventibus satis amplis, & patrimonio in pauperes erogato, semel in die sub vespere solo cibo quadragesimali utens, nudisque pedibus, & lacerâ veste sub brumali rigore incedens, miræ austeritatis vitam est aggressus. Potens igitur opere & sermone, innumeros hæreticos ad fidem, peccatores ad penitentiam, dissidentes ad pacem, & concordiam revocavit.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. **V.** Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocēbit ei. Manus enim.

Lectio v.

CUM Laudini esset, ab Episcopo rogatus, ne à sua diocesi discederet, deserunt in ea locum qui Præmonstratus dicebatur, sibi delēgit; ibique trêdecim sociis aggregatis, Præmonstratensem Ordinem instituit, divinitus acceptâ per visum regulâ à Sancto Augustino. Cùm verò ejus fama sanctitatis in dies magis augetur, ac plūrimi ad eum quotidie discipuli convenirent, idem Ordo ab Honorio Secundo, alisque Summis Pontificibus confirmatus, ac plūribus ab eo Monasteriis ædificatis, mirifice propagatus est.

R. Pōsi adjutōrium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea: **V.** Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vj.

ANTUERPIAM accersitus, in ea urbe Tachelini nefariam hæresim profligavit. Prophético spiritu, & miraculis claruit. Archiepiscopus tandem (licet reluctans) Magdeburgensis creatus, Ecclesiasticam disciplinam, præsertim cōlibatam, constanter propugnavit. Rhemis in Concilio Innocentium Secundum egregie adjūvit, & Romam cum illis Episcopis profectus, schisma Petri Leonis comprēssit. Postremò vir Dei meritis & Spiritu sancto plenus, Magdeburgi obdormivit in Domino, anno salutis millésimo centésimo trigésimo quarto, die sextâ Junii.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrinâ ejus replēta est. **V.** Ipse intercedat pro peccatis omnium populōrum. **V.** Iste est qui contempnit vitam mundi, & pervēnit ad cœlestia regna. Ipse intercedat. Glōria Patri. Ipse intercedat.

In tertio Nocturno, Homilia Sancti

ti Gregorii Papæ in Evangelium Homo peregrè, de Communi Confessoris Pontificis. xlvij.

DIE IX. JUNII.

Sanctorum Primi & Feliciani Martyrum.

Oratio.

FAC nos, quæsumus Dōmine, Sanctorum Martyrum tuorum Primi & Feliciani semper festa sectari: quorum suffragiis protectionistue dona sentiamus. Per Dominum.

Lectio ij.

PRIMUS & FELICIANUS fratres, in persecutione Diocletiani, & Maximiani accusati Christianæ religionis, in vincula conjiciuntur: quibus soluti, inde eripiuntur ab Angelo. Mox ad Prætorem adducti, cūm Christianam fidem acerrimè tuerentur, alter ab altero distracti sunt; ac primum variè tentata est constantia Feliciani. Sed cūm suasores impietatis se posse quidquam verbis proficere desperarent, affixis stipti manibus ejus & pedibus, ipsum sine cibo & potu in dē triduum pendentem reliquerunt. Postridē ejus diē Prætore vocatum ad se Primum sic affatur: Vides, quantò sit prudentior, quàm tu, frater tuus, qui obsecutus Imperatoribus, apud ipsos est honoratus? Quem si tu quoque imitari volueris, particeps eris ejus honoris & gratiæ.

R. Hac est vera fraternitas, quæ numquam potuit violari certamine: qui effuso sanguine secuti sunt Dominum: * Contemnentes aulam regiam, pervenerunt ad regna cœlestia. **V.** Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum. Contemnentes. Glōria Patri. Contemnentes.

Lectio iij.

CUI Primus: Quid factum sit fratri meo, cognovi ex Angelo. Utinam quemadmodum sum cum

eo voluntate conjunctissimus, sic ab eodem ne martyrio disjungar. Quo dicto excanduit Prætore, & ad catenas cruciatus, quibus Primum affecit, præsentē jam Feliciano, liquatum igne plumbum in os ejus jussit infundi. Mox utrumque per dūci imperat in theatrum, in eoque immitti duos leones: qui prostrati ad eorum gēna, capite & caudâ ipsis landlebantur. Ad id spectaculum cūm amplius duodecim millia hōminum convenissent, quingenti cum suis familiis Christianam religionem suscepērunt. Quibus rebus permotus Prætore, eos securi percūti jussit.

Te Deum laudamus, 12.

DIE X. JUNII.

In Festo S. Margaritæ Reginæ Scotia. Semiduplex.

Omnia de Communi Sanctarum nec Virginum nec Martyr. lxxx. præter ea quæ hic habentur.

Oratio.

DEUS, qui beatam Margaritam Reginam eximia in pauperes charitate mirabilem effecisti: da, ut ejus intercessione & exemplo, tua in cōdibus nostris charitas jugiter augeatur. Per Dominum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

MARGARITA SCOTORUM Regina, paterno Angliæ Regum, materno Caesarum sanguine clarissima, illustrior adhuc fuit christiana virtute. Hæc in Hungaria nata, ubi pater tunc temporis exulabat, post exactam summa cum pietate puerilem ætatem, unâ cum genitore, qui à Sancto Eduardo patrū Anglorum Regis ad patēri regi fastigium vocabatur, in Angliam venit: mox alterante parentum fortuna, ex Angliæ lit-

tore solvens, vi tempestatis expulsa, seu veritas divinae providentiae consilio, deducta est in oram maritimam Scotiae. Ibi cum ex maritimo imperio Malchólmo tertio Scottorum Regi egrégis ejus dótibus capto nupsisset, sanctimoniae ac pietatis operibus tringinta, quibus regnavit annis, toti regno mirifice profuit.

R. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: **•** Et deducet te mirabiliter dextera tua. **V.** Spécie tua & pulchritudine tua intende, prospere procedere, & regna. Et deducet.

Lectio v.

Inter regales delicias corpus afflictionibus, ac vigiliis macerans, magnam noctis partem piis precationibus extrahébat. Praeter illa jejúnia, quae idéntidem usurpabat, integros quadraginta dies ante natalitia festa tantá cum severitate jejunare consuevit, ut ne in gravissimis quidem doloribus intermitteret. Divino cultui addictissima, templa plurima & cenobia partim ex integro excitavit, partim resarcivit & sacro supellectili, ac largo censu ditavit. Regem conjugum ad meliorem frugem, & ad similia suis exercitationibus opera saluberrimo exemplo tradidit, liberósque omnes tam sancte & feliciter educavit, ut eorum plerique quemadmodum & Agatha mater, & Christina soror sanctissimum vitae genus amplexi sint. Universi demum regni felicitati consensens, a vitis omnibus, quae furtim irrepserant, populos expurgavit, eisque mores Christianá pietate dignos restituit.

R. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: **•** Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae. **V.** Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. Propterea.

Lectio vi.

Nihil tamen aequé in illa mirabilis fuit, ac flagrantissima charitas erga próximos, praesertim egenos, quorum numerosis gregibus non modo stipem affatim suppeditare, verum etiam trecentis quotidie materná benignitate dapes praebere, flexis genibus in morem ancillae ministrare, régis manibus pedes abluere, & pressis etiam osculis ulcera fovere solenne habuit. His porro aliisque piis sumptibus non régias tantum vestes, & pretiosa monilia distraxit, sed ipsum non semel exhausit ararium. Toleratis demum ad patientia miraculum acerbissimis doloribus, animam semestri corporis agrotatione purgatam, Auctóri suo quarto Idus Junii reddidit. Quo temporis momento facies ejus diuturni morbi macie ac pallore foedata, insolita quadam venustate resloruit. Miris etiam post mortem prodigiis clara, & Clementis Decimi auctoritate in Scotia Patronam accepta, ubique terrarum religiosissime colitur.

R. Fallax gratia, & vana est pulchritudo: **•** Mulier timens Deum, ipsa laudabitur. **V.** Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus. Mulier. Glória Patri. Mulier.

In tertio Nocturno, Homilia Sancti Gregorii Papae in Evangelium. Simile est regnum caelorum thesauro, ut in Communi non Virgini. lxxxviiij.

Vesperae de S. Barnaba Apostolo, cum Commemoratione Sanctae Margaritae.

DIE XI. JUNII.

In Festo S. Barnabae Apostoli.

Duplex.

Omnia de Communi Apostolorum, i. praeter ea quae hic sunt propria.

Oratio.

Oratio.

Deus, qui nos beati Barnabae Apostoli tui méritis & intercessione laetificas: concede propitius; ut qui tua per eum beneficia poscimus, dono tuae gratiae consequamur. Per Dóminum.

Deinde fit Commemoratio Sanctae Margaritae, Antiphona. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem, & panem otiosa non comedit. **V.** Diffusa est gratia in labiis tuis. **R.** Propterea benedixit te Deus in aeternum.

Oratio. Deus, qui. ut sup. 407.

In primo Nocturno.

De Actibus Apostolorum.

Lectio j.

Cap. 13. f.

Cum dimissa esset synagoga, secuti sunt multi Iudaeorum, & colentium advenarum, Paulum & Barnabam: qui loquentes suadebant eis ut permanerent in gratia Dei. Sequenti vero sabbato pené universa civitas convenit audire verbum Dei. Videntes autem turbas Judaei, replati sunt zelo, & contradicebant his, quae à Paulo dicebantur, blasphemantes. Tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad Gentes. Sic enim praecipit nobis Dóminus: Pósuisti te in lucem Gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terrae. **R.** Ecce ergo mitto vos sicut oves in medio luporum, dicit Dóminus: **•** Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae. **V.** Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. Estote ergo.

Lectio ij.

Udientes autem Gentes gavisa sunt, & glorificabant verbum Dómini: & crederunt quotquot

erant praedordinati ad vitam aeternam. Disseminabatur autem verbum Dómini per universam regionem. Judaei autem concitaverunt multes religiosos & honestas, & primos civitatis, & excitaverunt persecutionem in Paulum & Barnabam: & ejecerunt eos de finibus suis. At illi excisso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium. Discipuli quoque replebantur gaudio, & Spiritu sancto.

R. Tollite jugum meum super vos, dicit Dóminus, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: **•** Jugum enim meum suave est, & onus meum leve. **V.** Et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim.

Lectio iij.

Cap. 14.

Factum est autem Iconii, ut simul introiret in synagogam Iudaeorum, & loquerentur, ita ut crederet Iudaeorum & Graecorum copiosa multitudo. Qui vero increduli fuerunt Judaei, suscitaverunt, & ad iracundiam concitaverunt animas Gentium adversus fratres. Multo igitur tempore demorati sunt, fudicialiter agentes in Dómino, testimonium perhibente verbo gratiae suae, dante signa & prodigia fieri per manus eorum.

R. Dum steteritis ante reges & praesides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: **•** Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. **V.** Non enim vos estis qui loquimini: sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Dabitur enim vobis. Glória Patri. Dabitur.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Barnabas Levites, Cyprus genere, qui & Joseph, cum Paulo Gentium Apostolus ordinatus est ad praedicandum Jesu Chris-

ti Evangélium. Is agro vendito, quem habebat, redactam ex eo pecuniam attulit Apóstolis. Missus autem Antiochiam predicatiónis causá, cum ibi multos ad Christi Dómini fidem conversos esse comperisset, incredibiliter lætatus, eos hortabatur ut in Christi fide permanerent. Qua cohortatiónem multum proficiebat, quod ab omnibus vir bonus, & Spiritu sancto plenus habebatur.

R. Vidi conjunctos viros habentes splendidas vestes, & Angelus Dómini locutus est ad me, dicens: * Isti sunt viri sancti, facti amici Dei. **V.** Vidi Angelum Dei fortem, vocantem per médium cœlum, voce magna clamantem, & dicentem. Isti sunt,

Lectio v.

Profectus inde Tarsum, ut quæreret Paulum, cum eo Antiochiam venit. In ejus urbis Ecclesiá annu commorati, Christianæ fidei & vitæ illis hominibus præcepta dederunt: ubi etiam Jesu Christi cultores primùm Christiani sunt appellati. Discipuli autem Pauli & Barnabæ, suis facultatibus Christianos, qui in Judæa erant, sustentabant, eò mittentes pecuniam per Paulum & Barnabam. Qui perfuncti illo charitatis officio, adhibito Joánnæ, cui cognomen erat Marcus, redierunt Antiochiam.

R. Beati estis cum maledixerint vobis homines: & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me: * Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. **V.** Cum vos oderint homines, & cum separaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter Filium hominis. Gaudete.

Lectio vi.

Cum autem Antiochia in Ecclesiá cum cæteris Prophætis & Doctóribus, Paulus & Barnabas in jejunio & oratione Dómino deservirent, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes & orantes, impotentisque eis manus, dimiserunt illos. Itaque Seleuciam venerunt, inde in Cyprum; ac multas præterea urbes regionisque predicantes Evangélium summá cum audientium utilitate peragrarunt. Postremò Barnabas, digressus à Paulo, uná cum Joánnæ, qui cognominatus est Marcus, navigavit in Cyprum: ibique circiter septimum Nerónis annum tertio Idus Junii ad Apostólici muneris laudem, martyrii coronam adjunxit. Ejus corpus Zenone Imperatore repertum est in insula Cypro, ad cujus pectus erat Evangélium Matthæi, Barnabæ manu conscriptum.

R. Isti sunt triumphatores, & amici Dei, qui contemnentes jussa principum, meruerunt præmia æterna: * Modo coronantur, & accipiunt palmam. **V.** Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas in sanguine Agni. Modo coronantur. Glória Patri. Modo coronantur.

In tertio Noeturo.

Lectio sancti Evangélii secundum Matthæum.

Lectio vii.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio luporum. Et reliqua.

Homilia S. Joánnis Chrysostomi. Homilia 34. in Matthei post initium.

Cum Dóminus omnem sollicitudinem à discipulorum cordibus ejecerit, & ostensione sig-

no-

norum armaverit, atque ab omnibus negotiis secularibus alienatos, & ab omni temporalium rerum cura liberatos, ferreos quodammodo atque adamantinos fecerit, tum denique eventura illis adversa prædicit. Multa enim ex hac prædictione futurarum rerum comoda consequerentur. Primum, ut ejus præsciéntiæ vim edicerent. Deinde, ut nemo suspicaretur ex magistri infirmitate tam gravia mala descendere. Præterea, ne qui ea passuri erant, subito ac inopinató rerum evéntu perturbarentur. Denique, ne cum ista sub ipsum passionis suæ tempus audirent, nimium commoverentur.

R. Isti sunt qui viventes in carne, plantaverunt Ecclesiám sanguine suo: * Cálicem Dómini biberunt, & amici Dei facti sunt. **V.** In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Cálicem Dómini.

Lectio viij.

Jam verò, ut intèlligant novum hoc esse belli genus, & insolitum præliandi morem, cum illos nudos mitteret uná indutos tunicá, sine cálcis, absque virga, & absque zona & pera, & ab excipientibus ali juberet: non fecit hic dicendi finem, sed inexplicabilem virtutem suam præferens, etiam sic euntes, inquit, mansuetudinem tamen lupum ostendite, quamvis ad lupos ituri, nec simpliciter ad lupos, sed etiam in médio luporum: (neque verò óvium tantum mansuetudinem habere jubet, sed etiam columbæ simplicitatem) sic enim virtutem meam maxime ostendam, cum ab óvibus lupi superabuntur, & quamvis illa sint in médio luporum, & innumeris möribus læcerentur, non modo non consumptæ fuerint, ve-

rùm etiam illos in sui naturam transmutaverint.

R. Isti sunt viri sancti, quos elegit Dóminus in charitate non ficta, & dedit illis glóriam sempiternam: * Quorum doctrina fulget Ecclesiá, ut sole luna. **V.** Sancti per fidem vicierunt regna, operati sunt justitiam. Quorum Glória Patri. Quorum.

Lectio ix.

Majus certè atque admirabilius est, mentem adversariorum commutare, & animum in divèrsu transferre, quam illos occidere: præsertim cum duodecim tantum essent, & lupis plenus esset orbis universus. Erubescamus igitur, qui longè divèrsa facientes, tanquam lupi in adversarios riuimus. Nam quãdiu oves fuërimus, vincimus etiam si mille circumstant lupi, superamus & victores sumus: quòd si lupi fuërimus, vincimur. Tunc enim à nobis pastóris auxilium recedit, qui non lupos, sed oves pascit.

Te Deum laudamus. 12.

In secundis Vesperis fit Commemoratio sequentis, & Sanctorum Basilidis & Sociorum, ut infra.

DIE XII. JUNII.

In Festo S. Joannis à S. Facundo Confessoris.

Duplex.

Omnia de Comuni Confessoris non Pontificis, IV. præter sequentia, Oratio.

Deus auctor pacis, & amator charitatis, qui beatum Joannem Confessorem tuum mirificè dissidentem componendi gratiá decorasti: ejus méritis, & intercessione concede; ut in tua charitate firmati, nullis à te tentationibus separamur. Per Dóminum nostrum.

Deinde fit Commemor. præcedentis, & SS. Basilidis, Cyrini, Na-

Naboris, & Nazarii Martyrum. Antiphona. Istorum est enim regnum cœlorum, qui contempserunt vitam mundi, & pervenerunt ad præmia regni, & laverunt stolas suas in sanguine Agni. **V.** Letamini in Dômini, & exultate justi. **R.** Et gloriâmini omnes recti corde.

Oratio.

Sanctorum Martyrum tuorum Basilidis, Cyrini, Naboris, atque Nazarii, quæsumus Dômine, natalitia nobis vota resplédeant: & quod illis contulit excelléntia sempiterna, fructibus nostræ devotiônis accrescat. Per Dôminum nostrum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Joannem Sahagûni in Hispânia nobili genere natum, parentes cum diu prole caruissent, piis operibus & orationibus à Deo impetrarunt. Ab ineunte ætate egrègium futuræ sanctitatis specimem dedit; nam è loco superiori ad cæteros pueros crebrè verba faciebat, quibus eos ad virtutem & Dei cultum hortabatur, eorumque dissidia componèbat. In Patria Mònachis Sancti Facundi Ordinis Sancti Benedicti primis litterarum rudimentis imbuendus traditur. Dum iis operam daret, curâvit pater, ut Párochus Ecclesiám administraret, quod munus juvenis nullis relictibus adduci pótuit ut retinèret. Inter familiâres Episcopi Burgensis adscriptus, ob spectatam ipsius probitatem intîmus ei fuit, ab eoque Præsbyter & Canónicus factus, multis beneficiis actus est. Sed relicta aulâ Episcopi, ut Deo quíentibus serviret, omnibus Ecclesiæ proventibus abdicatis, se cuidam Sacello addixit, ubi Sacrum quotidie

faciebat, ac de rebus divinis magna cum auditorum ædificatiône frequenter concionabatur.

R. Honestum fecit illum Dôminus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductóribus tutavit illum: & Et dedit illi claritatem æternam. **V.** Justum deduxit Dôminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Postea studiòrum causâ Salmánticam profectus, in célebre Collégium divi Bartholomæi coopertatus, Sacerdotis munus ita exercuit, ut simul optatis studiis incumberet, & in sacris etiam concionibus assidue versaretur. Cùm verò in gravissimum morbum incidisset, arctiòris disciplinæ voto se obtrinxit; quod ut redderet, cum prius cuidam pauperi penè nudo ex duâbus, quas tantum habebat vestes, meliorem dedisset, ad Cœnóbium Sancti Augustini severiòri disciplinâ tum maxime florens se contulit, in quo admissus, obedientiâ, animi demissione, vigiliis, ac oratione proveciòres antebat. Triclinii cura cum ipsi demandata esset, vini lololium, ipso attingente, omnibus Mònachis per annum abundè sufficit. Exactus tyrocini anno, Præfècti justum munus concionandi suscepit. Salmánticæ id tẽporis adeo cruentis factiõibus divína humanaq; omnia permixta erant, ut singulis propemodum horis cædes fierent, & omnium ordinum, ac præsertim nobilium sanguine non via solum & fora, sed templa etiam redundarent.

R. Amavit eum Dôminus, & ornâvit eum: stolam gloriæ induit eum. *** Et ad portas paradisi coronâvit eum. V.** Induit eum Dôminus Iovicam fidei, & ornâvit eum. Et ad

Lec-

Lectio vi.

AT Joannes tum conciónibus, tum privatis colloquiis civium animos demulcens, ad tranquillitatem urbem reduxit. Virum Principem graviter offéndit, quòd illus in súbditos sævitiam increpasset.

Qua de causa equites duos immisit, qui eum in itinere confoderent; jamque ad ipsum propinquaverant, cum stupore divinitus immisso, simul cum equis immobiles steterunt, donec ad pedes sancti viri provoluti, sceleris veniam precarentur. Ipse quoque Princeps repentino terrore percussus jam de salute desperaverat, cum revocato Joanne, facti pönitens incolumitati redditus est. Factiõs etiam homines, cum eum fustibus peterent, brachiis diriguere: nec antè reddita vires, quam delicti veniam precarentur. Christum Dôminum, dum Sacrum faceret, præsentem contueri, atque ex ipso Divinitatis fonte cœlestia mysteria haurire solitus. Abdita cordis inspicere, ac futura raro evéntu prasagire frequens illi fuit. Fratrisque filiam septennem mortuam excitavit. Denique mortis die prænuntiatio, & Ecclesiæ Sacramentis devotissime susceptis, extrêmum diem clausit, multis ante & post obitum miraculis gloriòsus. Quibus ritè probatis, Alexander Octavus Sanctòrum número eum adscriptis.

R. Iste homo perfecit omnia, que locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in requiem meam: *** Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In iij. Nocturno, Homilia S. Gregorii Papæ in Evangelium Sint lumbi vestri præcincti, de Communi

Confes. non Pontif. primo loco. Ixj.

Pro SS. Basilde, Cyrino, Nabore, & Nazario Martyribus.

Lectio ix.

Basilides, Cyrinus, Nabor, & Nazarius, Romani milites, nobiles genere, & virtute illustres, Christianâ religione suscepti, cum Christum Dei Filium Diocletiano Imperatore prædicarent, ab Aurelio Præfècto Urbis comprehensi, & ut diis sacra facerent admoniti, ejus jussa contemnentes, missi sunt in carcerem. Quibus orantibus, cum subito clarissima lux oborta omnium oculis, qui ibidem essent, carcerem collustrasset, illo cœlesti splendore commotus Marcellus custodiâ præpositus, multique alii, Christo Dômino crediderunt. Verum postea è carcere emissi, ab Imperatore Maximiano, cum ejus etiam neglecto imperio, non Christum Deum & Dôminum in ore habentem, scorpionibus cruciati, iterum conjiciuntur in vincula, undè septimo die educti, & ante pedes Imperatoris constituti, perstitèrunt in irrisiõne inanum deorum, Jesum Christum Deum constantissime confitentes. Quamobrem damnati, securi feriuntur. Quorum corpora feris objecta, nec ab illis tacta, a Christianis honorifice sepulta sunt, Te Deum laudamus. 12.

In Laudibus fit Commem. SS. Basilidis, &c. Martyrum, Añâ. Vestri capilli captis omnes numerati sunt, nolite timere: multis passeribus meliores estis vos. **V.** Exultabunt Sancti in glória. **R.** Letabuntur in cubilibus suis. Orat. Sanctòrum Martyrum, ut sup. 410.

Vesperæ à Capitulo de sequenti, Commemoratio præcedentis.

DIE

DIE XIII. JUNII.

In Festo S. Antonii de Padua Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontific. Iy. præter sequentia. Oratio.

Ecclēsiam tuam, Deus, beati Antonii Confessoris tui solēmnitas votiva lætificet: ut spiritalibus semper muniatur auxiliis, & gaudiis p̄frui mereatur æternis. Per Dōminum nostrum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In ij. Nocturno. Lectio iv.

Antonius Ulyssipōne in Lusitania honestis ortus parēntibus, & ab iis piē educatus, adolescens institutum Canonīcorum Regularium suscepit. Sed cūm cōpora beatōrum quinque Māryrum Fratrum Minorum Conimbria transferrēntur, qui paulo antē apud Marrōchium pro Christi fide passi erant, martyrii desiderio incensus, ad Franciscānum Ordinem transiit. Mox eodem ardore impulsus, ad Saracēnos ire perrexit; sed adversā valetudine afflictus, & redire coactus, cūm navi ad Hispaniā littora tēderet, ventōrum vi in Siciliam delatus est. **R.** Honestum fecit illum Dōminus, & custodivit eum ab inimicis, & a seductōribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. **V.** Justum deduxit Dōminus per vias rectas, & ostēdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Assisium ē Sicilia ad capitulum generale venit: inde in erēmum montis Pauli in Emilia secessit, ubi divinis contemplationibus, jejuniis & vigiliis diu vacavit. Postea sacris Ordinibus initiatus, & ad prædicandum Evangelium missus, dicēdi sapientiā, & cōpiā tantum profecit, tantāque sui admiratiōnem commōvit, ut eum Summus Pōnti-

sex aliquādo, concionāntem audiēns, Arcam testamēti appellāvit. In primis verō hereses summā vi profligāvit, ideōque perpētus hæreticōrum malleus est vocatus.

R. Amāvit eum Dōminus, & ornāvit eum: stolam glōriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronāvit eum. **V.** Induit eum Dōminus lorīcam fidei, & ornāvit eum. Et ad.

Lectio vj.

Primus ex suo Ordine, ob doctrinæ præstantiam, Bonōniæ & aliibi sacras litteras est interpretatus, Fratrumque suōrum studiis præfuit. Multis verō peragratis provinciis, anno ante obitum, Patāvium venit, ubi illustria sanctitatis suæ monūmenta reliquit. Denique magnis laboribus pro glōria Dei perfunctus, mēritis & miraculis clarus, obdormivit in Dōmino, Idibus Junii, anno salutis millésimo ducentésimo trigésimo primo: quem Gregorius Nonus Pontifex Maximus Sanctōrum Confessorū número adscripsit.

R. Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrēdere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervēnit ad cœlestia regna. Quia, Glōria Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Homilia Sancti Gregorii Papæ in Evangelium Sint lumbi vestri præcincti, de Communi Confes. non Pontif. Ixj.

Vesperæ a Capitulo de Sancto Basilio, cum Commem. S. Antonii.

DIE XIV. JUNII.

In Festo S. Basilii Magni Episcopi & Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, xij. præter sequentia.

In Hymno Vesperarum dicitur: Hac die lætus meruit sup̄mos Laudis honores.

Ad

Ad Magnificā in utrisque Vesperis, Antiphona. O Doctor optime, Ecclēsiæ sanctæ lumen, beate Basili, divine legis amator, deprecāre pro nobis Filium Dei.

Oratio.

Exaudi, quæsumus Dōmine, preces nostras, quas in beati Basilii Confessoris tui atque Pontificis solēmnitate desērimus: & qui tibi dignè meruit famulāri, ejus intercedētibz mēritis ab omnibus nos absolvet peccatis. Per Dōminum.

Deinde fit Commemoratio S. Antonii, Antiphona. Hic vir despiciens mundum & terrēna, triumphans cœlo cōdidit ore, manu. **V.** Justum deduxit Dōminus per vias rectas. **R.** Et ostēdit illi regnum Dei. Oratio. Ecclēsiam tuam, ut sup. 412.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Basilus, nobilis Cāppadox, Athēnis unā cum Gregorio Nazianzēno ejus amīssimo, secularibus litteris, deinde in Monasterio sacris mirabiliter eruditus, eum brevī cursu fecit ad omnem doctrinæ & morum excellēntiam, ut inde Magni cognōmen invēnerit. Is ad prædicandum Jesu Christi Evangelium in Pontum accersitus, eam provinciam à Christianis institutis aberrantem, ad viam salutis revocavit: mox ab Eusebio Cæsariæ Episcopo ad erudiendam eam civitatem adjutor adhibētur: in cujus locum postea successit. Is Filium Patri consubstantialem esse in primis defendit; ac Valēntem Imperatorem sibi iratum, miraculis adeo flexit, ut incubentem ad voluntatem ejiciēdi ipsū in exilium, a sententiā discēdere coegerit.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim me auxiliabitur ei. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocēbit ei. Manus. Lectio v.

NAm & Valēntis sella, in qua facturus decrētum de ejiciēdo & civitate Basilio, sedere volēdo, confracta est: & tribus ab eo cālamis adhibitis ad scribendam exilii legem, nullus eōrum reddidit atramentum: & cūm nihilominus in proposito scribēdi impiū decrētum persisteret, ipsius dextera, dissolutis nervis, tota contrēmit. His commōtus Valens, chartam utraqz manu cōdidit. Eā autem nocte, quæ ad deliberandum Basilio data est, Valēntis uxor intimis est cruciata doloribus, & tūncus filius in gravem morbum incidit. Quibus ille perterritus, iniquitatem suam recognoscens, Basilium accersit, quo præsentē puer cepit convalescere: verūm vocatis à Valēnte ad visendum puerum hæreticis, paulo post moritur.

R. Posui adjutōrum super potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim me auxiliabitur ei. **V.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus. Lectio vj.

Abstinentiā & continentiā fuit admirabili: unā tūnica contentus erat: in jejūnio servando diligentissimus, in oratione assiduus, in qua sæpē totam noctem consumēbat. Virginitatem perpētuo cōhuit. Monasteriis extructis, ita Monachōrum institutum temperavit, ut solitariæ atque actūsæ vitæ utilitates præclarè simul conjungeret. Multa eruditè scripsit: ac nemo, teste Gregorio Nazianzēno, sacra Scripturæ libros verius, aut uberiùs explicavit. Obiit Kalēndis Januarii, cūm tantum spiritu vivens, præter ossa & pel-

pellem, nullâ præterea cõporis parte constare videretur.

V. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrinâ ejus replêta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **Y.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Ipse intercedat. Glória Patri. Ipse intercedat.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vii. *Cap. 14. f.*

In illo tempore: Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et reliqua.

Homilia S. Basilii Episcopi.

Lib. Regul. fusiùs explic. ad interrog. 8.

Perfecta quidem renuntiatio in eo consistit, ut id assequamur, ne ad ipsius etiam vitæ affectionem propensius simus, & responsio mortis habeamus, ut non simus fidentes in nobis ipsis. Huiusmodi autem renuntiatio initium sumit ab alienatione rerum externarum, veluti à possessionibus, ab inani glória, à vivendi consuetudine, à rerum inutilium amore, quemadmodum etiam suo exemplo nobis ostenderunt sancti Domini nostri discipuli, Jacobus quidem & Joannes, relicto patre Zebedæo, & ipsâ quoque navicula, de qua omnis illorum victus ratio pendebat: Matthæus verò, cum ab ipso telonio surrexit, ac Dominum secutus est.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. **Y.** Induit eum Dominus lorica fidei, & ornavit eum. Et.

Lectio viij.

Sed quid opus est nostris rationibus, aut sanctorum virorum exemplis, id quod dicimus, confirmare, cum ipsa Domini verba in medium liceat afferre, & iisque ipsis religiosam ac Deum timentem animam commovere, quibus ille perspicue & sine controversia protestatur, dicens: Sic igitur quicumque ex vobis non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Et alio in loco, cum priùs dixisset: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus: postea subjunxit: Veni, sequere me.

R. In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, * Et implevit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectûs. **Y.** Jucunditatem & exultationem thesaurizavit super eum. Et implevit. Glória Patri. Et implevit.

Lectio ix.

Est igitur renuntiatio, quemadmodum docuimus, vinculorum terrænæ hujus actemporâlis vitæ solutio, atque ab humanis negotiis liberatio, per quam ad incendantem viam, quâ ad Deum pervenitur, aptiores & promptiores efficiuntur: & expedita ratio ad acquisitionem usumque rerum, quæ super aurum & lapidem pretiosorum multum, longè sunt pretiosiores: & in summa, cordis humani ad cœlestem conversationem translatio, ita ut dicere liceat: Nostra conversatio in cœlis est: & (quod maximum est) initium undè ad Christi similitudinem evadimus, qui cum dives esset, propter nos pauper est factus.

Te Deum laudamus, 12.

In secundis Vesperis fit Commemoratio SS. Viri & Sociorum.

DIE XV. JUNII.

Sanctorum Viri, Modesti, atque Crescentiæ Martyrum.

Antiphona. Istorum est enim regnum

num cœlorum, qui contempserunt vitam mundi, & pervenerunt ad præmia regni, & laverunt stolas suas in sanguine Agni. **Y.** Letamini in Domino, & exultate justi. **R.** Et gloriamini omnes recti corde.

Oratio.

DA Ecclesiæ tuæ, quæsumus Domine, Sanctis Martyribus tuis Vito, Modesto, atque Crescentiâ intercedentibus, superbè non sapere, sed tibi placitâ humilitate proficere: ut prava despiciens, quæcumque recta sunt, liberâ exerceat charitate. Per Dominum.

Lectio ij.

Vitus admodum puer inscio patre baptizatus est: quod cum ille rescivisset, nihil prætermisit, quo filium à Christiana religione removeret. Qua in voluntate permanentem, Valeriano iudici verbèribus castigandum tradidit. Sed nihilominus in sententia persistens, patri redditus est. Sed dum eum pater gravius punire cogitat, Virtus Angeli monitu, comitibus Modesto & Crescentiâ, ejus educatoribus, migrat in aliénas terras: ibique eam sanctitatis laudem adeptus est, ut ejus famâ ad Diocletianum perlatâ, ipsum Imperator accerseret, & filium suum à demone vexatum liberaret: quo liberato, cum ei amplissimis præmiis ingratus Imperator, ut deos coleret, persuadere non potuisset, unâ cum Modesto & Crescentiâ vinculis constrictum, mittit in carcerem.

Lectio iij.

Quos ubi constantiores esse cõperit, demitti jubet in ingens vas, liquato plumbo, ferventi resinâ, ac pice plenum: in quo eum trium Hebræorum puerorum more divinos hymnos canerent, indè erepti, leóni objiciuntur: qui pros-

térnens se, eorum pedes lambebat. Quare inflammatus irâ Imperator, quòd multitudinem videbat miraculo commoveri, eos in catasta sterani jubet, & itâ cædi eorum membra, atque ossa divelli. Quo tempore tonitrua, fulgura, magnique terræmotus fiere, quibus templa eorum concurrunt, & multi oppressi sunt. Eorum reliquias Florentiâ, nobilissimâ femina, unguentis conditas honorifice sepelivit.

Te Deum laudamus, 12.

DIE XVIII. JUNII.

Sanctorum Marci & Marcelliani Martyrum.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnipotens Deus: ut qui Sanctorum Martyrum tuorum Marci & Marcelliani natalitia cõlimus, à cunctis malis imminentibus eorum intercessionibus liberemur. Per Dominum.

R. Hæc est vera fraternitas, quæ nunquam potuit violari certamine, qui effuso sanguine secuti sunt Dominum: * Contemnentes aulam regiam, pervenerunt ad regna cœlestia. **Y.** Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum. Contemnentes. Glória Patri. Contemnentes.

Lectio iij.

Marcus & Marcellianus fratres Romani, propter Christianam fidem à Fabiano duce comprehensi, ad stipitem alligati sunt, pedibus clavis confixi. Ad quos cum itâ loqueretur iudex: Respicite miseri, & vos ipsos ab his cruciatibus eripite, responderunt: Numquam tam jucundè epulati sumus, quam hæc libenter Jesu Christi causâ perferimus, in cujus amore nunc fixi esse cœpimus: utinam tantum non hæc pati sinat, quàmdiu hoc corruptibili corpore vestiti erimus. Qui diem noctemque in tormentis

méntis divinas laudes canentes, dé-
nique telis transfixi, ad mártýrii gló-
riam pervenerunt. Quorum còrpora
vía Ardeatiná sepulta sunt.
Te Deum laudámus. 12.

DIE XIX. JUNII.

In Festo S. Julianæ de Falconeriis
Virginis. Duplex.

Omnia de Communi Virginum,
lxvij. exceptis iis, quæ hic propria
ponuntur.

Ad Vesperas & ad Matutinum.

Hymnus.

Celéstis Agni nuptias
O Juliána dum petis,
Domum patérnam dèseris,
Chorumque duéis virginum.

Sponsúmque suffixum Cruci
Noctes, dièsque dum gemis,
Dolóris icta cuspide,
Sponsi refers imaginem.

Quin septiformi vulnere
Fles ad genu Deiparæ;
Sed crescit infusa fletu,
Flammæque tollit charitas.

Hinc, morte fessam próxima
Non usitato te modo
Solátur, & nutrit Deus,
Dapem supérnam pórrigens.

Ætérne rerum Conditor,
Ætérne Fili par Patri,
Et par utrique Spíritus,
Soli tibi sit glória. Amen.

Oratio.

DEus, qui beatam Juliánam
Virginem tuam extremo morbo
laborantem pretioso Filii tui
Còrporè mirabiliter recreare digná-
tus es: concede quesumus; ut, ejus
intercedéntibus méritis, nos quoque
eòdem in mortis agone refecti, ac
roborati ad celéstem pátriam per-
ducámur. Per eundem Dóminum
nostrum.

Et sit Commem. SS. Gervasii &
Protasii Martyrum, Antiph. Istó-
rum est enim regnum celórum,

qui contempserunt vitam mundi, &
pervenerunt ad præmia regni, & la-
verunt stolas suas in sanguine Agni.
V. Latámini in Dómino, & exul-
táte justi. R. Et gloriámini omnes
recti corde.

Oratio.

DEus, qui nos annuá Sanctó-
rum Mártýrum tuórum Ger-
vasii & Protasii solemnitate lætifi-
cas: concede propitiis; ut quorum
gaudémus méritis, accendámur
exémplis. Per Dóminum nostrum.

In primo Nocturno Lectiones de
Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Juliána ex nobili Falconeria fa-
milia, clarissimo Patre, qui
templum Deiparæ ab Angelo sa-
lutatæ ære suo magnificè à funda-
méntis Floréntiæ, ut nunc visitur,
erexit, Matre Reguardata, ambó-
bus jam senescéntibus, ac ad id
tempus sterilibus, nata est anno
millésimo ducentésimo septuagési-
mo. Ab ineunábulis non exiguum
futuræ sanctitátis espécimen dedit;
vagrántibus quippè labris, suavissi-
ma Jesu & Mariæ nómina ultrò
proférre audita est. Pueritiam post-
modum ingressa, totam se chris-
tianiis virtútibus mancipávit, in
quibus adeò excelluit, ut beatus
Aléxius pátrus, cujus institútis,
ac exémplis instruebatur, Matri
dicere non dubitáverit, ipsam non
féminam peperisse, sed Angelum;
nam ita modéstò vultu, animóque
ab omni, vel levissimá erroris má-
culá pura fuit, ut oculos nunquam
in toto vitæ cursu ad hóminis fá-
ciem intuendam exérerit, auditóque
peccati vocabulo contremuerit, imò
sceleris narratióne percúlsa, illico
propè exánimis corruerit. Expleto
nondum décimo quinto ætatis sua-

an-

anno, re familiári, licet opulénta,
terrenisque posthabitis nupriis, Deo
virginitatem in manibus divi Phi-
lippi Benitii solémniter vovit, ab
eoque ómnium prima religiósum
Mantellatárum habitum, ut dicunt,
sumpsit.

R. Propter veritatem, & mansue-
tudinem, & justitiam: Et ded-
dicit te mirabiliter vovit, ab
eoque ómnium prima religiósum
Mantellatárum habitum, ut dicunt,
sumpsit.

Lectio v.

Juliána exémplum secutæ sunt
plúrima ex nobilioribus familiis
femine, ac mater ipsa filie sese re-
ligiose instituendam dedit, ita ut,
aucto paulatim número, Ordinem
Mantellatárum instituerit, ac illi
piè vivéndi leges, summá prudén-
tiá, ac sanctitáte tradiderit. Ejus
virtutes cum óptimè perspéctas di-
vius Benitius haberet, morti próxi-
mus, nulli méllius, quam Juliána,
non féminas tantum, sed & totum
servórum Ordinem, ejus propa-
gator, & moderátor extiterat, com-
mendatum voluit. Verum ipsa de-
missæ semper de se cogitabat, &
cum cæterarum esset magistra, in
re quaque doméstica, licet vili, so-
roribus famulabatur. Assiduitate
orandi integras insumebat dies, in
extasim sæpissime raptá, etsi re-
liquam, in sedándis Civium dissi-
diis, criminosis a via iniquitatis
retrahéndis, ac inserviéndis impen-
denti ex ulceribus manantem, ad-
moto ore lambens, eos sanitati res-
tituebat. Corpus suum flagris, no-
dosis funiculis, ferreis cingulis, vi-
gulis, humi nudæ cubando, terere
solita fuit. Parcissime cibo, & hoc
vili, quatuor hebdomadæ diébus,
& reliquis duobus solo Angelórum
pane contenta, excepto die Sabba-

Pars Astiva.

ti, quo pane solo & aquá nutrie-
batur.

R. Dilexisti justitiam, & odisti ini-
quitatem: Propterea unxit te
Deus Deus tuus óleo lætitiæ.
V. Propter veritatem, & mansue-
tudinem, & justitiam. Propterea.
Lectio vj.

DUrâ hujusmodi vivéndi ratio-
ne in stómachi morbum inci-
dit, quo ingravescente, cum sep-
tuagésimum ætatis annum ágeret,
ad extrémum vitæ spatium redac-
ta est. Diuturna valetudinis in-
cómmoda hilaris vultu, constanti-
que animo pertulit: de uno tantum
conqueri audita est, quòd cum ci-
bum capere, ac retinere nullo mo-
do posset, ab Eucharistica mensa,
ob Sacraménti reveréntiam arce-
retur. Verum his in angustias consti-
tuta, Sacerdotem rogávit, ut allá-
tum divinum Panem, quem ore sum-
mere nequibat, pectore saltem ex-
térnus admoveret. Precibus illius
morem gessit Sacerdos; & mirum!
eòdem temporis momento, divinus
Panis disparuit, & Juliána sereno,
ac ridenti vultu expiravit. Res su-
pra fidem tàmdu fuit, donec vir-
ginem de more curarétur corpus;
inventá enim est circa sinistrum
pectoris latus carni véluti sigillo
impressa forma Hostiæ, quæ Chris-
ti crucifixi effigiem representabat.
Hujus prodigii fama, cæterorum-
que miraculorum, non Floréntiæ
tantum, sed totius Christiáni orbis
venerationem illi conciliábat.
aucta est; ut tandem Benedictus
Papa Décimus Tártius in ejus cele-
britatè Officium proprium recitari
ab univérso Ordine beatæ Mariæ
Virginis Servórum jussertit. Clemens
verò Duodecimus munificentissimus
ejusdem Ordinis Protector novis in
diés miraculis coruscantem, Sanctá-
rum

Ad

rum virginum catalogo adscriptis.

✠ Afferentur Regi virgines post eam, proxima eius ✠ Afferentur tibi in letitia & exultatione. ✠ Spécie tua & pulchritudine tua intendere, prospere procedere, & regna. Afferentur. Glória Patri. Afferentur.

In tertio Nocturno, Homilia Sancti Gregorii Papæ in Evangelium Simile erit regnum cælorum decem, de eodem Communi. lxxv.

Pro SS. Gervasio & Protasio Martyribus.

Lectio ix.

Gervásius & Protásius, Vitális & Valéria filii, quorum pater Ravennæ, mater Medioláni pro Christi Dómini fide martyrium subiérunt, distribúto pauperibus patrimonío, domésticos servos libertate donáruunt. Quo facto Gentilium sacerdotes immáne in illos conceptum ódium habébant. Quare cum Astásius comes in bellum proficisci vellet, hanc occasionem perdéndi pios fratres se nactos esse putáverunt. Itaque Astásio persuadent, se à diis adnóntos esse, nullo modo eum in bello victórem futurum, nisi Gervásio & Protásio coactis Christum negare, eosdem ad sacra diis faciéndam compelleret. Quod cum illi detestarentur, Astásius imperávit, Gervásium tándiu cædi, dum inter vérbera expiraret: Protásium fustibus contúsum, securi percúti jubet. Quorum corpora Philippus Christi servus clam sustulit, & in suis ædibus sepelivit quæ postea Sanctus Ambrósius, Dei móntu invénta, in loco sacro & signi collocanda curávit. Passi sunt Medioláni decimórtio Kálendas Julii.

Te Deum laudámus. 12.

In Laudibus fit Commemoratio

SS. Gervasii & Protasii Martyrum.

Añs. Vestri capilli capitis omnes numerati sunt: nolite timere: multis passeribus meliores estis vos.

✠ Exultabunt sancti in gloria.

✠ Latrabunt in cubilibus suis.

Oratio. Deus, qui nos. ut supra. 416.

In ij. Vesperis Commemorat. sequentis.

DIE XX. JUNII.

Sancti Sylvesteri Papæ & Martyris. Oratio.

Infirmítatem nostram respice omnipotens Deus: & quia pondus propriæ actiõnis gravat, beati Sylvesteri Martyris tui atque Pontificis intercessio gloriosa nos protegat. Per Dóminum nostrum.

Lectio ij.

Sylvérius Campánus, post Agapitum proxímè Pontifex creatus est; cujus doctrina & sanctitas illúxit in insectandis hereticis, & constantis animi magnitudo persécta est in tuéndo iudicio Agapiti. Nam Anthimum, quem, quia Eutychiánam hèresim defendébat, Agapitus ab Episcopátu Constantinopolitano deposuerat, cum à Theodóra Augusta sæpissimè rogátus esset, restituere nóluit.

✠ Dómine prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: ✠ Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. ✠ Vitam pétit à te, & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum sæculi. Posuisti. Glória Patri. Posuisti.

Lectio iij.

Quamóbre irata móluer mandat Bellisário, ut Sylvérium mittat in exilium. Qui exulavit in insula Pontia, undè his verbis scripsisse fertur ad Amatorem Episcopum: Susténtor pane tribulationis, & aqua angustia, nec tamen dimisi, aut dimitto officium meum. Quod

Quod re ipsa probavit: nam ibi coæcto Concilio multorum Episcoporum, quadam constituit, quæ ad integritatem fidei Catholice, & ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam pertinebant. Ubi brevi incommodis, ærumnisque confectus, obdormivit in Dómino, duodécimo Kálendas Julii: cujus sepulchrum multis miraculis illustratum fuit; cum Ecclesiæ præfuisset annos tres, & amplius, creatis mense Decembri Præsbyteris trédecim, Diáconis quinque, Episcopis per diversa loca decem & novem.

Te Deum laudámus. 12.

DIE XXII. JUNII.

Sancti Paulini Episcopi & Confessoris. Oratio.

DA quæsumus omnipotens Deus: ut beati Paulini Confessoris tui atque Pontificis veneranda solémnitas, & devotiõnem nobis augeat, & saltem. Per Dóminum nostrum.

Lectio ij.

Paulinus Nolæ Episcopus, eruditus stódiis humanitatis, doctus etiam divinis litteris, multa elegantè & ornate scripsit versibus, & soluta oratione. Hujus viri charitas præcipuè celebrátur, quod vastata à Gothis Campánia, omnem facultatem, ne relictis quidem sibi rebus ad vitam necessariis, in aléndonos pauperes, & captivos rediméndonos contulerit. Quo tempore, ut scribit Sanctus Augustinus, ex opulentissimo divite voluntate pauperissimus, & copiosissimè sanctus, captus à barbaris sic Deum precabatur: Dómine, ne excrucier propter aurum & argentum: ubi enim sint omnia mea, tu scis. Postea verò Wandalis easdem regiones infestantibus, cum ab eo posceret vidua, ut filium sibi redimeret,

consumptis rebus ómnibus in officio pietatis, seipsum pro illo in servitute tradidit.

Lectio iij.

Igitur in Africam profectus, dólumini sui, qui regis erat gener, hortum coléndum suscepit. Verum cum prophetia dono regis mortem ipsi dómno prædixisset, & rex in somnis Paulinum sedéntem médium inter duos iudices, sibique de manibus eripientem flagellum vidisset; tantus vir cognitus, honorificentissimè dimissus est, condonatis ei omnibus suis civibus, honorificentissimè dimissus est, condonatis ei omnibus suis civibus, qui captivi fuerant. Nolam reversus ad Episcopale officium, cum verbo & exemplo omnes ad pietatem Christianam inflammaret, laterum dolore correptus est: mox cubiculum, in quo jacebat, terramótu contrémuit, ac paulo post animam Deo reddidit.

Te Deum laudámus. 12.

DIE XXIII. JUNII.

In Vigilia Sancti Joannis Baptistæ. Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio i.

Erit in diebus Herodis, regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen ejus Elisabeth. Et reliqua.

Homilia Sancti Ambrósii Episcopi. Lib. 1. in Lucam.

Ocet nos Scriptura divina non solum mores in iis qui predicabiles sunt, sed etiam parentes oportere laudari: ut veluti transmissa immaculatæ puritatis hereditas in iis, quos volumus laudare, præcellat. Quæ enim alia intentio hoc loco sancti Evangelistæ, nisi ut Sanctus Joannes Baptista nobilitetur parentibus, miraculis, moribus, munere, passione? Sic etiam Sancti Samuel mater Anna laudatur: sic

Dd 2

Isaac